ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

N. V. Constantino Hugenio
S. P. D.
Isaacus Gruterus

Nobilissime Domine

Monitus per filii tui literas Traiectum nostrum futurum tibi ~~tam~~ transitum dolebam designationem tam incertâ nobis eripi facultatem vel obiter salutandi. Hodie certior factus ita volente fortuna, hic tibi insumptum pernoctandi spatium, et fortassis trahendam unius diei moram, conjicio me in pedes ut adventum et felix ad ulteriora iter gratularer. Sed bis frustrata conatum fors est, quae adventus tui praeter spem et opinionem nuncia mihi fuerat. Alio enim digressus significabaris, et porro ita amicis occupandus ut desperare inciperem de colloquii facultate. Ne tamen prorsus te mihi subducant quae inciderunt, auribus parata oculis destino, et literulis proximo concepta gratulationis vota, pro corporis salutari Spadani fontis haustu. Et apud ὑδροποσίας si patiuntur res tuae, da fruar internuncio calamo, et in cera te videam, ne fortuna glorietur subduxisse te mihi in Batavos penitus invisum inauditumque. Vale et bonis avibus ad nos ut redeas faxit Deus per quem vires nanciscitur liquor retinendae sanitati par. Traiecti ad Mosam. 13. Julii. 1659.

Ik woone hier ten huyse van Jacob vanden Heuvel secretaris van den Heer drossaart van Valkenburg tegen over de Fransche kerk.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5353a

Nobilissimo, Eruditissimoque viro
Constantino Hugenio
Equiti, Zulichemi
Domino &c.

Traiecti ad Mosam

amicā manu

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5353a